

tes & abjecti vilescerent. Hinc autem tertius emergebat abusus Presbyterorum, quorum aliqui conabantur jugum Episcoporum excutere, quasi ad injurias avertendas, unde Hieronymus in can. 7. dist. 95., quasi Episcopos, & Presbyteros conciliaturus, ita utrosque mone-re visus est, inquit: *Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam ut Principem; cum tu me non habeas ut Senatorem?* Ex his denique omnibus quartus emergebat abusus nonnullorum Episcoporum, qui sine delectu Presbyteros ordinabant, rudes quoscumque, & imperitos, inertesque ad Ecclesiastica graviora ministeria, ex eo fortè, quòd si tales Presbyteros in Ecclesia habuissent, tutius in operam, dignitatemque suam universa conferrent. Id iterum testatur Hieronymus in suis Commentariis in epistolam Pauli Apostoli ad Titum. Istos omnes abusus veluti in conspectu habebat, Hieronymus & ipse in Presbyteratus ordine constitutus, quos exinde dolebat vehementer, modò de Diaconis se supra Presbyteros evehentes, modò de Episcopis Presbyteros contemnantibus gravissimè conquerens, modò hunc, modò illud abusum exagitan- elato stylo, & fortè plus æquo pro- vecta disputatione, cujus ardor eò sanc- tum virum efferebat, quòd progredi pa- cato animo nolisset.

Post hæc ita posita, ad laudatorum Hieronymi monumentorum interpreta- tionem accedo. Utque exordiar à dicto can. 5. dist. 95., ajo, minus commo- dè ab iis interpretibus canonem expli- cari, qui aut tradiderunt, Hieronymum ibidem contra Diaconorum ambitum dis- putantem paulò excessisse, aut Hiero- nimum ibidem locutum esse non de or- dine, sed de dispensatione rerum ec- clesiasticarum; etenim integer Sancti viri contextus longè alienus est ab his interpretationibus. Eo in loco commen-

tarium scribebat Hieronymus in episto- lam Pauli ad Titum; verba autem ca- nonis pertinent ad expositionem illorum verborum Apostoli cap. 1. *Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir &c.* Hinc occasionem arripuit conquerendi de Episcopis illis, qui Presbyteros or- dinaturi mandatam Apostoli negligebant, nimirum eos initiabant Presbyteratu, qui qualitatibus à Paulo præstitutis destitue- bantur. Inde etiam ulterius progressus fuit, adjiciens, easdem esse qualitates ordinandorum Presbyterorum oportere, quæ sunt Episcoporum; quòd commo- dum erat demonstrare ex contextu Apos- toli, præsertim in subsequentibus ver- bis *Oportet enim Episcopum sine crimine esse &c.*, item ex epistola ejusdem Pauli ad Timotheum I. cap. 3., qua collata cum capite 1. epistolæ ad Titum urgere videtur Paulus æquè Titi sollicitudinem in Presbyterorum, ac sollicitudinem Ti- mothei in Episcoporum ordinatione. Ita- que quòd in dicto canone dicitur, idem olim fuisse Presbyterum, qui erat Epis- copus, non ad ordinem, sed ad quali- tates pertinet ordinandorum; quòd si adjicitur, ex schismatibus factum fuisse, ut Episcopus superponeretur Presbyte- ris; sententia hæc deplorantis est, Pres- byteros ordinari postea cœpisse minus idoneos, quasi rerum ecclesiasticarum administratio à solo Episcopo penderet, non etiam à consilio Presbyterorum. Huc pertinet, quòd ibidem dicitur, fuisse Ecclesias olim communi Presbytero- rum consilio gubernatas; ex quo Sacer- dotali officio ritè concluderetur, non alios esse ad Presbyterale officium ad- vocandos, quam quos Episcopalis & ho- nor, & opus admitteret. Neque enim ferre poterat Sanctissimus vir & ipse Presbyteratu initiatus, quòd sibi objici non infrequenter audiebat, non adeo ela- borandum esse in celebrandis ordinatio- nibus Sacerdotum, quòd recentiore æta- te obtinuerit, Ecclesiarum regimen, mo- derationemque solis Episcopis reserva-

ri, Presbyteros autem vel in Sacra Psal- modia recitatione, vel in muneribus ad unum Corpus Christi verum, neuti- quam ad mysticum referendis detinen- dos esse. Hæc est mea de Hieronymi doctrina sententia, in quam eo libentius eundem putavi, quo clarius agnovi, Gregorium VII. ita sanctum Doctorem intellexisse in suo Concilio Romano I. anni 1074. in can. 14. & 15. Hujus Concilii verba, quemadmodum & integ- rum Hieronymi contextum jam exhibui in meis animadversionibus in Gratia- num. Si quis modò hanc ipsam inter- pretationem accommodare etiam velit canoni 24. dist. 93., non repugnabo; quamquam tamen verius judicarem aliam affingendam interpretationem, nimirum eam, quæ propiùs ad Hieronymi sco- pum propositum in epistola ad Evagrium, ex qua canon depromptus fuit, acce- dat. Invehatur ibidem Hieronymus adversus illos, qui Diaconos Presby- teris exæquabant, atque ita de Presby- teris disputando loquebatur, ut indica- ret, Apostolica ætate nihil penè inter Presbyteros, & Episcopos discriminis in- tercessisse. Cæterum neque adeo dispu- tationis ardore percitus ibidem videtur, ut omninò Presbyteros Episcopis æqui- pararet, sed tantummodò in officio re- gendæ Ecclesiæ in gravissimis spirituali- bus negotiis; unde constaret, Presbyte- rorum officium officio Diaconorum lon- gè esse majus. Imò si verba illa con-

sideremus: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quòd Presbyter non faciat?* liquidò concludemus, Hieronymum distinctio- nem ordinis admisisse, quando sacros ordines, qui conferendi ab Episcopo sunt, inficiatus est à Presbyteris posse conferri. Insuper gravissimum argumen- tum eruitur ex postremis canonis verbis, ubi Hieronymus ita contra Diaconos se- se supra Presbyteros evehentes argumen- tabatur. Ut Presbyter fiat, ajebat ipse, ex Diaconis quis assumitur; numquam ex ordine Presbyterorum assumitur, qui in Diaconum sit ordinandus; ergo, col- ligebat Hieronymus, ex divina institu- tione Diacono major est Presbyter. Quis modò dicat, non venisse in mentem Hieronymi viri sanè acutissimi simile ar- gumentum ad demonstrandam præstan- tiam Episcoporum supra Presbyteros, quando eadem ratione dici potuisset, ex Episcopis neminem in Presbyterum ordi- nari, è contrario ordinandum Episcopum è Presbyterorum numero advocari, pro- indeque Episcopum Presbytero esse ma- jorem? Quòd si non admississet Hiero- nymus, inextricabili sanè se difficultate obvolvisset. Quòd si in præcedentibus paulò ulterius Hieronymus excessisse de- prehenderetur, dandum quidquam est vi- ro accerrimè disputanti adversus ambi- tum Diaconorum, quando aliàs certa specimina præbuit, quibus indicaret, se Episcoporum supra Presbyteros præ- stantiam admittere.

CAPUT II.

De Episcoporum auctoritate generaliter.

Huc referendus est titulus 31. lib. 1.

IN conspectu eorum, quæ initio præ- cedentis dicta sunt, ubi de Epis- coporum jurisdictione ageretur, quis cum Cabassutio in Theoria, & praxi juris Canonici cap. 1. in fine non redar- guet Gratianum principio suæ distinctio-

nis 18. tradentem, totum Episcoporum officium in exhortando, & corrigendo consistere, nihil autem eorum auctoritate constitui posse, vel definiri? Vel Glos- sographus idem Gratiani Decreti notam adjecit, ne quis facillè Collectoris fama

ad idem sentiendum traheretur, ita scribens: *Illud non est verum, quia Episcopi bene possunt condere canones Episcopales, & Archiepiscopus Provinciales, quia quilibet populus, & qualibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod jus.* Ab hac potestate canonum ferendorum, quæ Episcopali muneri cohæret, quæque maxima est, & eminens jurisdictionis facultas, unde sicut Episcopi dignitatis causa sublimem obtinent in Ecclesia Sedem, can. 10. dist. 95., ita causa egregiæ illius jurisdictionis opportunum visum fuit, ut à vinculo patriæ postestatis eximerentur, quemadmodum eximebantur in dignitate Consulari, vel Præfectura Prætoriorum constituti, Nov. 81. cap. 3., unde sumpta authentica *Sed Episcopalis* Cod. de Episc. & Cler., can. 20. dist. 54., cap. 13. qui filii sint legitimi, imò & à vinculo servitutis, si fortè contingat, servum Episcopum consecrari, Nov. 123. cap. 4., unde sumpta authentica *Episcopalis ordo*, Cod. de Episc. & Cler. dicto can. 20. dist. 54., facillè deducitur, de Episcopali jurisdictione eam constituendam esse regulam, qua traditur, omnia geri in commissa Diœcesi ab Episcopo posse, quæ ad utilitatem, & rationem Ecclesiæ pertinent, nisi de iis agatur, quæ Ecclesiam universam respiciunt, vel de iis, quæ jam superiori vel Conciliorum, vel Antistitum auctoritate definita fuerunt, contra quæ nihil Episcopis moliri licet, ne fortè inde res ecclesiasticæ susdeque verentur, aut turbentur, neve unitas certa Ecclesiæ nostræ nota dirumpatur, vel denique de iis, quæ ab illius potestate detracta, aut exempta, aut majori potestati reservata probantur: seu, quod idem est, uti Pragmatici loquuntur, Episcopum habere intentionem in jure communi fundatam, cap. 7. de privileg. in 6., eamque ob rem, si quis adversus Episcopum agat, sibi que certam adserat jurisdictionis speciem, quam Episcopo deneget, eum de jure singulari, putà legitima consuetudine, præscriptione, privilegio, aut similibus fidem facere

perspicuam oportere, cap. 16. de offic. jud. ordin., cap. 13. de foro compet. Sunt Episcopi Apostolorum successores, eademque, quæ apud Apostolos fuit, in Episcopos jurisdictio derivavit, liberè semper exercenda, quousque coercita non appareat lege publica, cui & ipsos Episcopos parere necesse est, quorum auctoritas non est in Ecclesia suprema omnium, sed suos pati debet Prælatos, à quibus certos modos accipiat, ita suadente Ecclesiæ utilitate, ita etiam postulante divina institutione.

Operosa res esset latissimè pervagari per varia exempla, quæ sanè si heic congererentur, universas propemodum Ecclesiasticas causas huc referri oporteret. Generaliter tamen dicam, in id omne graviter incumbere Episcopum & posse, & debere, quod ad doctrinam fidei, morumque tuendam, servandamque, atque disciplinam dirigendam pertinet. Ecclesiarum omnium unitas, quam numquam discerpere potuit divisio diœceseon, aut partitio Episcopaliū potestatum, sita est præprimis in uniformi professione fidei, in administratione eorundem Sacramentorum, atque in concordia voluntate exequendi etiam positiva Dei præcepta. Quando hæc unitas character, & nota est veræ Ecclesiæ, inde proficiscitur, ubicumque Ecclesia sit, ibi existere, apparere eorundem dogmatum professionem, eorundem Sacramentorum administrationem, eandem denique voluntatem servandi divina præcepta, quin ulla aut varietas, aut mutatio induci ab Episcopis valeat. Non ita pendet Ecclesiæ unitas ex capitibus disciplinæ, quam constat obnoxiam esse variis vicibus, modò temporum, modò locorum, modò similibus adjunctorum, qua in parte nonnihil Episcoporum auctoritati tribuitur.

Sunt quædam disciplinæ capita, quæ licèt non sint suapte natura unitatis ecclesiasticæ fundamenta, nihilominus aut perpetuò agnita, aut certis temporibus definita fuerunt tanquam ejusdem unita-

tatis argumenta, ut hæc ipsa unitas notis adhuc uberioribus accedentibus demonstraretur, & magis magisque palam conspiceretur. Ad devinciendas arctius christianas provincias, fuerunt in hac re selecta quædam disciplinæ capita, quæ aut opportuniore ratione causarum, aut essent, natura sui illustriora, in quibus concordia indiceretur, relictis inde cæteris liberæ voluntati singularium Antistitum, qui populi sibi commissi indolem, rationes, sicut & adjuncta & temporum, & locorum penitissimè cognoscentes, prudenti arbitrio suo singula moderarentur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ opportuniore sunt ratione causarum, illa intelligo, in quibus optimum erat, christianos catholicos ab extraneæ religionis hominibus distingui; propterea quod non inde melius eruitur unius societatis unitas, quam unde distinctio ab aliis societatibus eruatur. Hanc ob causam jam à prima sua ætate Ecclesia definnivit, ut per singulas hebdomadas non dies Sabbati, sed dies solis, quem propterea Dominicum dicimus, sanctus, & festus haberetur, atque ut per singulos annos celebratio Paschatis differretur in Dominicum diem, qui lunæ Martiæ decimæ quartæ succederet, ne cum Sinagoga Judaica ritus communes haberet. Imò & recentioribus sæculis statuit Ecclesia, ut laici, cum ad Eucharistiam accederent, sub una panis specie communicarent, ne alias Boæmis, sive Calixtinis utramque speciem divino jure postulantibus adhærere quis videretur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ sunt natura sui illustriora, illa intelligo, in quibus consistit externa exercitio alicujus cultus, & quidem proximi præcipuorum fidei nostræ mysteriorum, quasi tacita quædam ex facto elicita eorundem mysteriorum professio, certis stans temporibus, certisque stans ritibus renovata. Si enim una, eademque dogmatum fides, seu professio, unitas ipsa est fidelium universorum, decuit

planè, ut alterum adhuc vinculum neceretur ad unitatem ritus, saltem ratione habita publici, ac solemnissimi testimonii, quod reddimus in cultu disciplinæ præcipuis fidei nostræ dogmatibus, propterea quod unitas hujus ritus plurimum valet ad custodiendam tutius ipsam dogmatum unitatem. Notandum tamen est, hujus generis ritum sæpè, ac sæpius coalescere ex pluribus actibus, seu partibus; creditumque propterea, identidem sufficere ad argumentum illius unitatis, convenire universos in unam ritus partem, quin opus esset pariter, ut in cæteris adamussim partibus ubicumque, & quodcumque conveniretur.

Ecquidem ardua res esset, fortè etiam periculi plena, deffinire singillatim omnia capita, quæ credamus usurpata fuisse ab Ecclesia tanquam certa hujus ita conceptæ firmioris unitatis argumenta. Duæ meo judicio statui regulæ possent. Prima est, cum certum disciplinæ caput constitutum est ad secernendam Christianorum societatem à cæteris societatibus à vera fide deviiis, tùm caput illud tanquam argumentum unitatis existimari oportere, propterea que locorum, seu provinciarum varietatibus obnoxium non facillè fieri posse. Imò etsi duæ sint in Ecclesia gentes, quæ olim de certis ritibus dimicaverint, deinde conciliatis animis ita controversiam deffiniverint, ut unaquaque gens suum ritum sequeretur, publica in hanc rem inita conventionem, adeo unusquisque populus ritu semel sibi constituto tenebitur, ut illum non facillè liceat in una, vel altera diœcesi immutare. Hujusmodi est disciplina azymorum in Ecclesia Latina, uti fermentati in Ecclesia Græca. Altera regula est, si disciplinæ capita sint maximè conspicua natura sui, & singulari ratione dignissima, tùm haberi veluti constituta unitatis argumenta, cum appareant observata & ubique, & perpetuò in Ecclesia fuisse, in ea saltem parte, in qua concurs ritus adpareat. Hinc non facillè mutationibus subjacerent

ea disciplinae capita quae ab antiquissimis temporibus, atque in omnibus liturgiis recepta deprehenduntur in celebratione Eucharistici Sacrificii.

Post hæc ita generaliter tradita, concludere possum, neminem ex Episcopis valere in diocesi sua mutare ea disciplinae capita, easque ejusdem disciplinae partes, in quibus similitudo in omnibus Ecclesiis recepta est, ad argumentum unitatis. Quando enim unitas nihil aliud est, quam vinculum omnium dioceseon, excederet profectò Episcopus diocesanæ administrationis fines, si hujus generis mutationes induceret; propterea quod, inducta mutatione, non solum in ipsius diocesi, sed in cæteris, & quidem omnibus, illud disciplinae caput esse desineret propositæ servandæ unitatis argumentum.

Quòd si agatur de aliis disciplinae capitibus, quæ sunt constituta extra causam unitatis ecclesiasticæ magis magisque firmandæ, nulla in primis dubitatio est, quin Episcopus valeat eadem immutare, quoties ipsa non nisi Episcopali, seu sua, vel decessorum suorum auctoritate definita fuerint, juxta vulgarem juris regulam, unumquodque dissolvitur eo modo, quo colligatum est, cap. 1. de regul. jur. Quoties verò Superioris auctoritas, imò & universæ Ecclesiæ in Conciliis intercesserit, opportunum erit discernere leges à legibus. Quædam sunt leges, quæ generaliter & sine discrimine ad fidelium omnium universitatem diriguntur, aut etiam ad certum fidelium cætum, non ad ipsas Episcoporum personas. Quædam è converso sunt editæ instar præcepti Episcopis propositi, quo quidquam Episcopis gerendum aut præcipitur, aut prohibetur, & quamquam istæ adhuc leges dici propriè possint, atque eatenus, quatenus generale Ecclesiæ bonum continent, adhuc tamen præceptorum vim retinent, quando ad solos Episcopos recta diriguntur, soloque propterea Episcopos obstringunt. Prioris generis leges obnoxia sunt, ubi

gravis & legitima causa subest, derogationi æquè ac dispensationi Antistitum pro modo diocesanæ jurisdictionis unicuique competentis, nisi aliàs leges ipsæ dispensationem, derogationemve Superiori reservaverint, juxta regulam Innocentii III. in cap. 29. de sent. excom. ibi: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*; quod & probare visi sunt Tridentini Patres, quum in cap. 18. sess. 25. de ref. scripserunt, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, dispensationem indulgeri posse à generalis disciplinae regulis, ubi gravis dispensandi causa emergat. Reverà, quis ignorat, multas esse in variis dioceseon inductas, probatasque consuetudines, quæ generalibus ejus generis legibus derogaverunt? At enim certum est, consuetudinem tanti non esse ponderis, ut legem vincat, nisi saltem tacitus consensus accesserit ejus, qui præest. Porro tacitus iste consensus non nisi Episcopalis præsumendus est, quando vel ipse Pontifex Maximus juxta phrasim Bonifacii VIII. in cap. 1. de constit. in 6. *locorum specialium consuetudines potest probabiliter ignorare*. Neque verò Episcopo expressè suam sententiam aperienti denegari potest, quod tacitè consentienti, atque ex præsumptione tribuitur, ne aliàs contra juris regulas major vis & ratio taciti, quam expressi habeatur. Hac facultate usi identidem Episcopi sunt, qua præsertim tempestate non tanta erat reservationum frequentia, uti liquet in conspectu canonis 8. dist. 28., can. 17. caus. 1. quæst. 7., cap. 6. de institution., cap. 4. §. 1. de judic., cap. 4. & 7. de immunit. Ecclesiar., cap. 59. vers. *quavis* de electione, cap. 5. de ætate, & qualit. præficiend., juncto cap. 34. de elect. in 6., ut alia omittam numero plurima. Et quidem longè recederet ab attingenda germana Episcopatus indole, quicumque in hac re distinguendum putaret inter facultatem dispensandi in certis casibus, & facultatem

ta-

tatem derogandi in tota diocesi. Quid enim aliud est dispensandi facultas, quam officium Interpretis, qui in certis causarum adjunctis mentem legislatoris intimam rimatus declarat, ad illa legem minimè extendi? At Episcopalis auctoritas intra simplicis Interpretis officii fines non continetur; quando regimen Dioceseon, & provincia generalis, qua rebus diocesanis undique etiam legum novarum propositione consulatur, Episcopis singulis commissa est; proindeque ad Episcopos semper pertinuit investigare, num lex communis diocesi apta sit atque opportuna, & cum talis non videatur, tum hanc executioni non demandare, aut executioni mandatam circumscribere, juxta principia posita in cap. 6. de præbendis. Habet ista facultas modos suos, utpotè quæ non nisi gravissimis de causis necessitatis, vel utilitatis maximæ Diocesanæ excitetur, certisque solemnitatibus, cleri præsertim accedente consilio explicetur: cæterum in jure communi fundamentum habet, atque ordinaria est, quam qui excludere velit, ostendere debet, certa singulari lege exclusam fuisse, aut arctioribus finibus circumclusam.

Aliud dicendum est de legibus secundi generis, quæ scilicet editæ sunt instar præcepti Episcopis propositi, quo quidquam gerendum Episcopis aut præcipitur, aut prohibetur. Quid enim aliud ageret Episcopus, cum derogaret huic legi, vel ab hac lege dispensaret, quam semetipsum à superioris præcepto eximere, & onus sibi specialiter impositum declinare? Hinc nequit Episcopus dispensare à generali lege, qua præcipitur, ut certis temporibus Ecclesiam visitet, ac Synodum celebret, aut prohibetur, ne extra legitimas ferias sacros ordines conferat. Hinc planè intelligitur sententia Pontificis Maximi in cap. 2. & 15. de tempor. ordinat. Nimirum in cap. 2. decernitur, nullam esse vim consuetudinis diocesanæ, qua contra generalem Ecclesiæ disciplinam extra

legitimas ferias Episcopus sacros Ordines conferret. Quæcumque consuetudinum diuturnarum ratio habenda sit, consuetudo illa parum Episcopo proderat, propterea quod tacitus Episcopi consensus, qualis aliàs consuetudinem legitimam faceret, id operari in proposita specie minimè poterat, quòd ne expresso quidem Episcopi consensu induceretur. Similiter in cap. 15. statuitur, Episcopum in eo legum genere dispensare non posse, propterea quod expressè non acceperit ex decreto canonum dispensandi facultatem.

Duo adhuc in hac re discutienda supersunt. Quid enim in primis, si dubitetur, an lex generalis in bonum publicum edita reservaverit superiori Prælato dispensandi, derogandive potestatem? Facile est dicere, reservationem non præsumi, eamque ob rem nunquam esse ordinariæ auctoritati detractum, quousque non constet, expressè hanc coercitam, circumscriptamque fuisse. Quid deinde si dubitetur, an inter veteres dioceseon consuetudines talis disciplina sit, quæ dudum fuerit generali totius Ecclesiæ constitutione inducta, an potius talis, quæ origine inspecta singulares Episcopos auctores habuerit? Id in dubitationem ut plurimum venit, quando nullum superest legis olim editæ monumentum, adeo tamen disciplina generalis est, ut in suspensionem legis generalis olim editæ inducat. Ego puto, legem generalem præsumi non facile posse, illamque disciplinam tribui potius debere legi cuidam diocesanæ ut antiquissimæ; siquidem monumenta legum diocesanarum obnoxia fuerunt admodum injuriis temporum ad interitum usque; quod non contigit in monumentis generalium canonum, quæ fuerunt in Ecclesiis omnibus majore sollicitudine custodita, atque servata, adeo ut qui generalium canonum codices in una, vel altera diocesi perierunt temporum fato, in aliis sanè dioceseon à quocumque fato immunes evaserint. Quòd si

Q2

le-

legis illius executio in pluribus diocesis, fortè etiam ubique conspicitur, non est hoc perspicuum generalis legis olim editæ argumentum. Leges veteres primùm edi in certa diocesi consueverunt, ut plurimùm in particularibus Conciliis: ab una diocesi in alteram facillè traducebantur, imò & de provincia in provinciam, probantibus sensim Episcopis singularibus; unde fiebat paulatim, ut quæ olim singularis erat disciplina, in generalem abiret, non quidem generali lege, sed consensione singulorum Antistitum succedente. Quemadmodum igitur initio pendebat à singulorum Episcoporum arbitrio legem illam traduce-re, ita arbitrium erit legem eandem abolere semel traductam, quotiescumque, quæ olim utilis extitisset, deinde minus opportuna dignoscatur, fortè etiam perniciosa. Quod dici solet, nihil interesse inter definitiones Ecclesiæ in unum, id est in Concilium, convenientis, & definitiones Ecclesiæ latè diffusæ per provincias, locum habet in doctrina fidei & morum, in qua traditio perpetua est atque immutabilis; non verò in disciplina, quam vicissitudinibus esse obnoxiam nemo ignorat.

Itaque amplissima est Episcopalis jurisdictionis, cui tamen duo constituti sunt fines, ab Episcopis universis minimè excedendi. Primus hinc positus est in conspectu majorum dignitatum, qualis est divino jure Pontificatus Maximus, & jure Ecclesiastico Archiepiscopatus, Primatia, Patriarchatus; illinc alter in conspectu aliorum Antistitum, & ordine parium, & jurisdictione. Non opus est amplius in præsentia explicare, quid postulent fines Episcopis positi in conspectu majorum dignitatum, postquam superius de potestate istarum in Episcopos fusam orationem habuimus. Tantùm superest, ut attingamus, quid postulent fines Episcopis positi in concursu parium Antistitum, quorum nimirum gratia mutuo obtinuit, ut certa diocesis unicuique assignaretur, intra quam quisque, extra

quam nemo jurisdictionem explicaret, can. 1., & passim caus. 9. quæst. 2. Ecquidem divino jure nulli Episcoporum sollicitudini positi erant locorum limites; missi enim erant in Apostolorum persona in universum mundum, Evangelium prædicaturi omni creaturæ. Opportunum tamen fuit, salva unitate & Ecclesiæ, & Episcopatus, loca dividere, ne invicem sese Episcopi turbarent in gerendo officio, neque certa loca à pluribus Episcopis regerentur, dum alia interea cura Episcopali carerent. Divisione facta locorum, unusquisque Episcopus intra certos tantùm fines jurisdictionem exercere potuit. Hinc autem profudit, ut si Episcopus in personas alienæ dioceseos sententiam proferat Diocesano ignorante, aut invito, irrita eadem pœnitens habeatur, quasi dicta à privato homine, Concilio Tridentino sess. 14. de ref. cap. 8., cap. 14. & 20. de foro compet., nisi tamen clericus in aliena diocesi deliquisset; nihil enim repugnat, quin puniri ab Episcopo possit, in cuius diocesi deliquit, dicto cap. 14., quod & ipsum dicendum est de clerico in aliena diocesi contrahente, cap. 1. vers. *Contrahentes* eod. tit. in 6. Paucis dicam, eas omnes regulas in foro Episcopali receptas esse in proposito, quæ traditæ, receptæque fuerunt in jure civili Romanorum, ubi, & qua in parte constituti fuere limites Magistratum, & iudicum universorum.

Neque verò hujusmodi limites locorum positi sunt tantùm in explicanda jurisdictionis potestate; verùm etiam in exercenda potestate ordinis. Hinc generaliter cautum fuit, Episcopum in aliena diocesi consistentem non consentiente Diocesano loci Pontificalia exercere non posse, sive ista habeantur tanquam jurisdictionis Episcopalis, sive tanquam singularia Ordinis Episcopalis insignia, indicta adversus exercentem pœna à Concilio Tridentino, primùm in sess. 6. cap. 4. de reform., ut is ab exerci-

sus,

tus, quemadmodum & ipso jure suspensi sint illi, quos Episcopus in aliena diocesi ordinavisset; deinde paulò immutata sententia, ut ordinans per annum ab exercitio Pontificalium; ordinati, donec suo Episcopo videbitur, ab executione ordinum ab alieno Episcopo susceptorum sint ipso jure suspensi, sess. 14. cap. 2. de reform., sess. 23. cap. 8. de ref., adjecta exceptione in eo casu, quo Episcopus alienum subditum sibi familiarem (nomine familiaris eum intelligimus, qui sine fraude, & fictione qualibet in Episcopi domo ejusdem Episcopi expensis alitur, cap. ult. de verb. sign. in 6.) & per triennium saltem secum commorantem ordinare, cui tamen beneficium omni fraude cessante statim, & re ipsa conferret, dicta sess. 23. cap. 9. Dixi, non consentiente Diocesano loci, cujus nomine intelligitur Episcopus, in cuius territorio Pontificalia exercentur, aut etiam Prælati alter proprium territorium habens. Quid autem, si agatur de loco exempto ab Episcopi jurisdictione, sed in territorio Episcopi sito? Non poterit sanè loci ejusdem exempti Prælati facultatem extraneo Episcopo facere Pontificalia exercendi, quæ semper erit ab ipso Ordinario loci petenda, juxta verba laudati Tridentini decreti in sess. 6. cap. 4.

Memorata canonum leges duplicem habent partem. Prima est, extra territorium, sive extra diocesim non posse Episcopum Pontificalia exercere. Id autem sine discrimine verissimum est, & ad id refertur doctrina hucusque exposita. Altera pars est, non posse Episcopum in propria diocesi Pontificalia ita exercere, ut eorundem exercitio extraneis, id est aliorum Episcoporum subditis, non consentientibus illorum Diocesanis, sacram ordinationem administraret. Hæc sanè pars pluribus illustranda est observationibus, propterea quod evenire potest, ut quis pluribus Episcopis subsit, habita ratione vel domicilii, vel originis, vel beneficii, de qui-

bus passim Pragmatici disputant, atque inter istos Barbosa de offic., & auctorit. Episc. alleg. 4., ubi rem hanc universam absolvit. Originis Episcopum alium dixere veteres, alium recentiores. Veteres appellabant eum, in cuius diocesi, sive Ecclesia quis esset baptizatus, uti expressè legitur in can. 44. Concilii III. Carthaginensis; quin referret, alio in loco nativitatem eum fuisse sortitum. Id opportunum erat vetustis temporibus, quibus adultis Baptisma conferri solebat, tum verò primùm nativitas illorum attendebatur, cum essent Sacramento regenerati. Sed recentioribus sæculis, postquam infantibus Baptisma conferri cœpit statim ac nati sunt, sicut vix tempora Baptismatis, & tempora nativitatis, ita & locus Baptismi, & locus nativitatis vix distingui cœperunt, unde passim receptum est, ut Episcopus originis is intelligatur, in cuius diocesi quis natus est. Hæc recens disciplina majores vires accepit, quum Bonifacius VIII. visus est illam confirmare, tradens in cap. 3. de tempor. ordin. in 6., eum dici originis Episcopum, *de cujus diocesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus*. Majores etiam vires accepit ex eo, quod sacrorum canonum studium jungi cœpit studio juris Romani, juxta quod locus nativitatis ad originis causam referebatur, leg. 1. ff. ad municip., leg. 228. ff. de verb. signif. Quæ tamen in re, ut adhuc certus honos antiquis canonibus, priscaque disciplina deferatur, ego censeo, utrumque Episcopum originis dici posse, sive in cuius diocesi quis natus, sive in cuius diocesi quis baptizatus sit; nimirum Episcopum loci nativitatis, quia ita sanxisse visus est Bonifacius VIII. in dicto cap. 3., & quia ita obtinuit ex usu recepto; Episcopum Baptismi, quia non constat, veterem disciplinam fuisse abrogatam. Episcopum domicilii appellamus eum, in cuius diocesi quisquam domicilium sibi constituit, qua in re non receditur à generalibus regulis jure Ro-

ma-